

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0889
	0887
	0893
	0883
sancta visitavit et aliquam moram ibi traxit. Audiens autem in regno suo discordiam concitatam, destinavit oratores suos in partes occidentis ad Papam Bonifacium VIII et ad regem Romanorum Rudolphum et ad alios reges occidentis, ut mitterent copias christicolas in Syriam ad recipiendum et retinendum civitates, de quibus paulo ante pulsi fuerant, et ad possidendum Jerusalem civitatem sanctam. Quae cum expossissent praefati oratores et omnibus placuisse, remiserunt oratores quasi illico cum exercitibus secuturi, sed nihil exsecutioni mandatum est, quia intestina occidentalium principum bella magis eis erant cordi, quam bellum Domini, et propria commoda, ut part. II. fol. 347B. dicetur. Et ubi tunc cum modicis expensis et sine magnis copiis captam Syriam et Jerusalem a Casano retinere potuissent, nulla promissione facta super hoc cum erubescientia fidelium et non levi crimine incuriae et omissionis postmodum amissa est, nec adhuc postea recuperata, nec hodie est via recuperandi. Nam recedente Casano cum suis ex Syria de facili Sarraceni nullo sibi resistente totam Syriam in ditionem receperunt et Christianos orientales, quos Casanus per civitates locaverat, occiderunt et ejecerunt, sicut prius fecerant Christianis latinis occidentalibus. Unde anno Domini 1291. cum Soldanus jam cepisset Antiochiam, Tyrum, Tripolim et alias civitates Christianorum latinorum, convertit se ad finalem exterminationem Christianorum de terra sancta. Siquidem in tota Syria non habebant Christiani latini nisi adhuc unam civitatem, Ptolemaidam, quae aliter Achon vel Acron dicitur. Erat autem civitas ista opulentissima et populosissima, ibi etiam residebat rex Jerusalem cum curia sua et magister templi et prior hospitalis, et dominus patriarcha cum clero, et omnes, qui fugerant a civitatibus captis per Soldanum, in eam cum omnibus suis honis se receperant, et stipendiarii regis Angliae et regis Franciae et aliorum regum et principum, et circa XVIII millia peregrinorum cruce signatorum de diversis nationibus et regnis. Unde erant XVII judicia super sanguinem ibi propter distincta dominia, et inde oriebatur saepe confusio in dictandis sententiis. Ibi fratres Praedicatorum et Minores habebant conventus solennes tam fratrum quam monialium, unde cum venerabilis	0898 0878 0938 0838 0988 0788 0388 Ende Anfang